

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3061

Auteur(s) : Richard, fils de Robert Malmarche [particulier]

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1155...

Action juridique : restitution

Langue du texte : latin

Analyse

Richard, fils de Robert Malmarche, par le conseil de Robert de Grentais, son oncle, rend à l'abbaye du Mont Saint-Michel une certaine terre du Grand Moulin à Guernesey, comprenant les services d'un homme à l'égard de terre labourable et champêtre. Ledit Richard reconnaît qu'il avait injustement réclamé et tenu cette terre, pour quoi il avait été excommunié et interdit. Il se soumet à faire pénitence de ce tort.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Société jersiaise, *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 153, p. 231-232.

Dissertation critique

Datation proposée dans l'édition.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus monachis in hoc loco degentibus quod ego Richardus filius Rotberti Malmarche multum perhorrescens ob peccatorum meorum enormitatem eterni incendii gehennam iniquis et sceleratis sine fine preparatam atque gaudia celestis patrie fidelibus promissa oppido desiderans pro redemptione et salvatione anime mee necnon patris et matris mee et fratris et omnium antecessorum meorum absoluteione quandam terram de molendino magno in insula videlicet de Guernereio Sancti Michaelis propriam, hominem scilicet unum cum toto tenore in terra et in viridario uno consilio avunculi mei Rotberti de Grentais et quorumdam amicorum meorum juste recteque consulentium eandem terram quam injuste calumpniabam et tenebam, pro qua etiam multociens excommunicatus et interdictus fueram, Deo et Sancto Michaeli Archangelo de Monte et monachis inibi die noctuque Christo domino servientibus in bona pace liberam et quietam dimitto, reddo et concedo. Hanc tamen terram pater meus Rotbertus calumpniaverat et per multos annos excommunicatus usque ad obitum suum possedit tandem in semet reversus viamque universe carnis se iturum intelligens quod male et nequiter egerat emendare festinans quibusdam monachis qui ibi presto aderant pefatam terram reddidit et hoc filio suo fratri meo concedere fecit et pro hoc terre tumulationem promeruit. Ut igitur tenebrosi baratri perpetuos evadere possem cruciatus atque in celesti gloria angelicis merear adjungi civibus hanc redditionem publice in conspectu tocius capituli coram multis testibus tam clericis quam laicis per brachium Sancti Autberti propria manu mea gratulabundus super sacratissimum altare Beati Archangeli Michaelis posui. Deinde ante altare nudus in terram prostratus ac virgarum verbere nudus disciplinatus ab priore et monachis indulgentiam et absoluteionem hujus insipientie mee gratia Dei patrocinate promerui. Insuper autem patrem meum et matrem et fratrem et omnes

parentes meos et omnes coadjutores meos absolvere pecii quod et ipsi libenter fecerunt. Denique ipsi monachi ob recordationem et memoriam futurorum in testimonium utique virorum de caritate beati archangeli michi xv. solidos et Rotberto avunculo meo quinque solidos dederunt. Si quis autem heredum meorum huic donationi immo redditioni contraire voluerit cum Dathan et Abiron quos terra vivos absorbit et cum Juda traditore Domini sit perpetue addictus maledictioni nisi citius resipuerit. Verumptamen ut hoc ratum et inconculsum permaneat manu mea sacro sancte Crucis signo confirmare studui adhibitis utrobique testibus quorum ista sunt nomina : Rotbertus de Grentais, Petrus de Verdun, Radulfus clericus de Pontabaudo. Ex parte monachorum Ruellen canonicus, Guillelmus pulcra barba, Hugo Testa, Sanuualus et plures alii.